



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 4. Utrùm Ecclesia Romana sit vera Christi Ecclesia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

At inquit. Lutherus fuit Episcopus Vvitembergen-
sis, & Calvinus Episcopus Genevensis. *Resp.* Fuisse
Episcopos nominatenus; sicut etiam nunc sunt Epi-
scopi nominatenus in Anglicana secta. Verus enim
Episcopus esse non potest sine ordinatione, & Epi-
scopus ordinari non potest, nisi ab Episcopis. Lu-
therus autem (idem dic de Calvino) non fuit ab
Episcopis ordinatus episcopus Vvitembergen-
sis. Hinc Luthero & Calvino, aliique ejusmodi sectariorum
antesignanis apprimè convenit illud S. Cypriani lib.
de unitate Ecclesiae: *Sunt qui se ultro apud temera-
rios convenas sine divina dispositione presciant, qui
se prepositos sine ulla ordinationis lege constituunt,
qui nemine episcopatum dante, Episcopi sibi nomen
adsumunt. Quos designat in psalmis Spiritus S. Se-
dentes in pestilentia cathedra, pestes & lues fidei,
serpentis ore fallentes, & corrumpenda veritatis ar-
ticipes, venena lethalia linguis pestiferis evomentes.*

Præterea, esto quòd Lutherani (idem de Calvi-
nistis, Zuvinglianis, &c.) habeant veros Episcopos:
at certe non habent Episcopos, qui antiquis Epi-
scopis successerint: quando enim Lutherus se fecit
Episcopum Vvitembergensem, Vvitemberga habebat
Episcopum catholicum, antiquorum Episcoporum
successorem, cui nec successit, nec succedere
potuit Lutherus: nam nemo succedere potest viven-
ti Episcopo, nisi legitime deponatur; nec Vvitem-
bergen- Episcopus legitime deponi potuit à Luthera-
nis, qui in eum nullam habebant jurisdictionem;
sed econtra ipse in eos jurisdictionem habebat. Lu-
therani igitur (idem dic de aliis sectariis) non ha-
bent apud se ordinationem episcopalem; & dato
quòd habeant, saltem non habent episcopalem suc-
cessionem. In sola igitur Ecclesia Romana inven-
itur ordinatio, vel saltem cum ordinatione successio
episcopalis, & quidem, ut ostensum est, ab Apo-
stolis ad nos usque visibiliter & absque interrup-
tione continuata. Quod vel totum evidenter probat,
apud sectarios esse non posse veram Ecclesiam,
quam sine Episcopis nunquam fore manifestè de-
clarat Apostolus, Ephes. cap. 4. ubi ait: *Et ipse dedit
quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophe-
tas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores &
doctores ad consummationem sanctorum in edificatio-
nem corporis Christi, donec occurramus omnes in uni-
tatem fidei, &c.* Hic enim nomine pastorum & do-
ctorum, intelligit Apostolus Episcopos, quorum est
gregem sibi commissum docere, & sic pabulo sanæ
doctrinæ nutrire.

§. VI.

Ecclesia Romana toto Orbe diffusa est, & sic so-
la diffusa est.

Prob. 1. pars. Quæ non in rigore mathematico,
sed moraliter est accipienda. 1. Ecclesia Romana
floret in Gallia, Germania, Polonia, Italia, Hispania,
America, &c. 2. In reliquis mundi partibus,
ut in Hollandia, Anglia, regionibus Septentrionali-
bus, Græcia, Africa, &c. habet in magno numero
cultores suos. Præterea, Apostolicorum virorum zelo
& laboribus in dies propagatur in variis regioni-
bus infidelium, ut in America, apud Sinas, in India.
Quorum omnium tam constans est & explorata
veritas, ut à nemine sanæ mentis in dubium pos-
sit revocari.

Prob. 2. pars. Quia ex omnibus aliis sectis, quæ
nunc existunt, & se Christianas vocant, nulla est,
quæ non unius vel alterius regionis contineatur fi-
nibus, ut faciliè agnoscent ipsimet sectarii: unde
Catholicæ Ecclesiæ nomen sibi attribuire non au-
dent, nisi fortasse apud suos. Quando autem cum
extraneis loquuntur de nobis, aut non intelliguntur,
aut nos vocant Catholicos, nisi fortasse Papistas
vel Romanos vocient, quod tamen æquivalenter
est nos Catholicos vocitare: quòd enim hominum
multitudo, Romano Pontifici ut supremo capiti vi-
sibili subiecta, toto Orbe diffusa sit, Orbis ipse ocu-
latus testis est.

Porrò dixi, Ecclesiam Romanam nova in dies in-
crementa accipere apud Infideles; addendum est so-
lam accipere; & sicut olim soli Ecclesiæ Romanæ
cultores propagande apud Infideles fidei incubue-
runt, ita & solos in id nunc incumbere: qui pro-
culdubio animarum zelus, & tam constans in gen-
tilibus ad fidem & Christi cultum convertendis la-
bor certissimum indicium est veræ Ecclesiæ. Et verò
nulla hæreticorum secta legitur aliquam gentem
ad fidem Christi convertisse, nullaque gens nisi ope-
ra alumnorum Ecclesiæ Romanæ christianam reli-
gionem, relictis idolis, amplexa est, ut testantur
Ecclesiasticæ historiæ. Rectè igitur & verè dicit Ter-
tullianus lib. de præscript. cap. 42. hæreticos non ut
infideles ad fidem convertant, sed ut subvertant fi-
deles, operam dare: *De verbi autem, inquit, ad-
ministratione quid dicam; cum hoc sit negotium illis
(hæreticis) non ethnicos convertendi, sed nostros
evertendi? Hanc magis gloriam captant, si stantibus
ruinam, non si jacentibus elevationem operentur: quo-
niam & ipsum opus eorum non de suo proprio edi-
ficio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffo-
diunt, ut sua edificent ad hæc solummodo opera
humiles, & blandi, & summissi agunt.*

ARTICULUS IV.

Utrum Ecclesia Romana sit vera Christi Ecclesia.

RESPONSIO.

Ecclēsia Romana est vera Christi Ecclesia.
Prob. Illa hominum societas ut vera Christi
Ecclesia agnoscenda est, cui conveniunt, & soli
conveniunt notæ omnes, quæ propriæ sunt veræ
Christi Ecclesiæ. Atqui notæ omnes, quæ propriæ
sunt veræ Christi Ecclesiæ, conveniunt Ecclesiæ Ro-
manæ, & soli conveniunt. Ergo, &c. Minor evi-
denter constat ex dictis Art. superiore. Major verò
per se manifesta est.

Præterea, si talis hominum societas non esset ve-
ra Christi Ecclesia, homines nunquam possent pru-
denter ingredi veram Ecclesiam, aut in ea manere,
quia quantacumque diligentia adhibita, nunquam
possent illam à falsa discernere: imò omnibus ma-
turè ponderatis, fallam Ecclesiam ingredi, & in ea
manere, non solum prudenter possent, sed etiam te-
nerentur sub pœna damnationis æternæ: quilibet
enim non solum prudenter potest, sed etiam sub
gravi tenetur ingredi in Ecclesiam illam, & in Ec-
clesia illa manere, quam, omnibus maturè ponde-
ratis, judicat esse veram Ecclesiam. Nemo autem
non potest, omnibus maturè ponderatis, judicare
Ecclesiam illam esse veram Ecclesiam, cui conve-
niunt, & soli conveniunt notæ omnes, quæ pro-
priæ sunt veræ Ecclesiæ.

Confirmatur. Ecclesia Romana fuit aliquandiu ve-
ra Ecclesia, secundum Lutheranos & Calvinistas to-
tis quinque prioribus sæculis; secundum Socinianos
toto primo sæculo. Ergo etiam hæcenus fuit, &
usque ad Mundi consummationem erit: alioqui ve-
ra Ecclesia aliquando defecit, aut defectura est, quod
evidenter repugnat promissionibus divinis, in Scri-
ptura S. expressè contentis.

Præterea, quòd vera Ecclesia non possit defice-
re, adeoque nunquam defecerit, aut defectura sit,
& sic quòd Ecclesia Romana, quæ aliquando fuit
vera Ecclesia, hæcenus fuerit vera Ecclesia, & sem-
per futura sit.

*Demonstratur sic contra Lutheranos & Calvinis-
tas.* Quòd vera Ecclesia (visibilis scilicet, de ea
enim semper loquimur) non possit deficere, fuit
unum è fidei dogmatibus, quæ tenuit Ecclesia Ro-
mana intra quinque priora sæcula. Atqui omnia fi-
dei dogmata, quæ tenuit Ecclesia Rom. intra quin-
que priora sæcula, fuerunt dogmata vera, & verè
ab Apostolis tradita. Ergo quòd vera Ecclesia non
possit

possit deficere, est dogma fidei verum, & verè ab Apostolis traditum. Minorem negare non possunt Lutherani & Calvinistæ; cum fateantur in Ecclesia Romana doctrinam fidei fuisse ex omni parte puram & integram totis quinque prioribus sæculis.

Prob. itaque maj. Illud ut dogma fidei tenuit Ecclesia Romana intra quinque priora sæcula, quod tunc temporis negari non potuit sine hæreseos nota. Atqui tunc temporis, quod vera Ecclesia sit indefectibilis, negari non potuit sine nota hæreseos; & qui hanc veræ Ecclesiæ indefectibilitatem negarunt, hæretici habiti sunt ab Ecclesiæ Romanæ cultoribus. Ergo quod vera Ecclesia sit indefectibilis, fuit unum è fidei dogmatibus, quæ tenuit Ecclesia Romana intra quinque priora sæcula. Major pater ex terminis.

Prob. min. Ex S. Augustino lib. de hæres. hæres. 69. ubi ait Donatistas schisma in hæresim convertisse, asserendo Ecclesiam Christi de toto terrarum Orbe perierisse, seu, quod idem est, Ecclesiam toto Orbe diffusam, quæ erat vera Ecclesia, propter Cæciliani crimina desuisse esse veram Ecclesiam, adedque asserendo veram Ecclesiam deficere posse. Verba S. Doctoris sunt: *In hæresim schisma verum (Donatistæ) tanquam Ecclesia Christi propter crimina Cæciliani, de toto terrarum Orbe perierit, ubi suura promissa est, atque in Africa Donati parte remanserit, in aliis terrarum partibus quasi contagione communio- nis extincta.*

Confirm. 2. Si Ecclesia Romana non est vera Ecclesia, nulla nunc est vera Ecclesia visibilis in toto Mundo. Consequens evidenter repugnat promissionibus divinis, & doctrinæ sectariorum, qui volunt omnes, esse nunc aliquam veram Ecclesiam visibilem, eamque in sua secta constituunt. Ergo, &c.

Prob. seq. maj. Nam sola Ecclesia Romana habet notas veræ Ecclesiæ proprias, proindeque si non est vera Ecclesia, vel nulla nunc est vera Ecclesia visibilis, vel vera Ecclesia, quæ nunc est, non habet notas seu proprietates veræ Ecclesiæ proprias, & eas habet falsa Ecclesia; quod secundum dici non potest sine intolerabili absurditate. Ergo, &c.

Confirm. 3. Contra Lutheranos & Calvinistas, Ecclesia Romana nunc eandem omnino fidem habet, quam habuit quinque prioribus sæculis. Atqui quinque prioribus Ecclesiæ sæculis fidem habuit ex omni parte puram & integram, ut ipsi Lutherani & Calvinistæ fatentur. Ergo nunc Ecclesia Romana fidem habet ex omni parte puram & integram, adedque si- cut fuit quinque prioribus Ecclesiæ sæculis, ita nunc est vera Christi Ecclesia: nam si Ecclesia Romana post quinque priora sæcula desit esse vera Ecclesia, non desit, nisi quia post quinque priora sæcula fidem suam corrupit.

Prob. itaque major, in qua tota difficultas est. Si Ecclesia Romana non habet nunc eandem fidem, quam habuit quinque prioribus sæculis, certè quia nunc diversam habet in omnibus articulis sectarios inter & nos controversis, & ita generalis depravatio fidei facta est in tota Ecclesia Romana post quinque priora sæcula. Atqui hoc dici non potest. Ergo, &c.

Prob. min. Nam generalis hæc fidei depravatio, si facta est, vel facta est subito, & quasi in instanti, vel paulatim tantum. Neutrum dici potest. Non primum: quod enim omnia membra Ecclesiæ Romanæ, toto Orbe diffuse, eodem tempore, eadem hora in fide sua generaliter corrumpenda conveniunt, prorsus incredibile est, imò & evidenter impossibile. Non etiam secundum: nam dato quod generalis fidei corruptio paulatim facta sit in Ecclesia Romana, & paulatim universam Ecclesiam Romanam invaserit, profectò cœpit certo tempore, & in certo loco; certum habuit authorem; certos habuit adversarios. Differant ergo nobis sectarii, tempus quo cœpit generalis illa fidei corruptio, si paulatim facta est; locum in quo cœpit, authorem à quo inducta est, adversarios à quibus impugnata. Nihil horum sectarii faciunt, aut etiam facere possunt; cum talis depravationis tali modo factæ, tali

tempore, tali loco, à tali authore, talibus adversariis cœptæ, nullum planè vestigium vel monumentum extet apud veteres.

Dicentne generalem illam fidei corruptelam in Ecclesia Romana factam esse, nemine advertente? At prorsus incredibile est, quod ex innumeris penè pastoribus & doctoribus, quos habebat Ecclesia Romana, nullus tantam fidei corruptelam advertit; imò hoc esse non potuisse, manifestum est. Dicentne pastores quidem & doctores Ecclesiæ generalem illam corruptelam grassantem advertisse, sed neminem reclamasse, omnesque mutò & hianti ore pestem hausisse? Sed hoc adhuc incredibilius est, quod pastores & doctores grassantem luem adverterint, & tamen nullus resistit, nullus reclamavit, sed omnes velut canes muti oblatum virum deglutiverint, & in intima viscera demiserint. Errores omnes particulares, quos in Ecclesiam ab ejus exordio hæcenus inducere tentarunt novatores, pastores & doctores Ecclesiæ adverterunt, & magno zelo oppugnaverunt; quomodo ergo pastores & doctores Ecclesiæ generalem illum errorem, in quem dicunt sectarii prolapsam esse universam Ecclesiam Romanam, aut non adverterunt, aut postquam adverterunt, non modò non oppugnaverunt, sed & in eum consenserunt ad unum omnes?

Dicent. Generalis illa fidei depravatio facta est sæculo septimo post mortem Gregorii I. *Resp.* Sed quærimus sub quo Pontifice facta sit.

Dicent. Facta est sub eo Pontifice, qui primus factus est Antichristus. *Resp.* Sed quærimus, quis sit ille Pontifex, qui primus factus est Antichristus.

Dicent. Pontifex, qui primus factus est Antichristus, is est quem Phocas Imperator appellavit Caput Episcoporum. *Resp.* Concilium Chalcedonenſe Leonem I. appellavit Caput Episcoporum, nec idèò Leo I. factus est Antichristus. Item fideles omnes lex priorum sæculorum Romanum Pontificem ut Caput visibile totius Ecclesiæ, adedque ut Caput Episcoporum agnoverunt, & venerati sunt, nec tamen idèò ullus Pontifex Romanus sex prioribus sæculis factus est Antichristus.

Dicent. Pontifex ille primus factus est Antichristus, qui Pantheon aperuit. *Resp.* Pontifex ille Pantheon aperuit, ut illud ab idolis expurgatum consecraret Deo in honorem Beatæ Virginis, & omnium Martyrum. Idem ante eum fecerat Silvester, Basilicas à Constantino ædificatas, Deo consecrando in honorem Sanctorum, nec tamen idèò mutatus fuerat in Antichristum.

Dicent. Pontifex ille primus factus est Antichristus, qui fidem generaliter depravavit. *Resp.* En quomodo impii in circuitu ambulant. Secundum sectarios, generalis fidei depravatio facta sub Pontifice, qui primus factus est Antichristus, & Pontifex ille primus factus est Antichristus, qui fidem generaliter depravavit, hoc est, generalis fidei depravatio facta est, quando facta est generalis fidei depravatio.

Dices. Probant ex Scriptura Papam sæculo septimo mutatum esse in Antichristum. *Resp.* Quomodo hoc probarent; cum nullibi in Scriptura legatur Papam mutandum esse in Antichristum sæculo septimo, aut quavis alia atate?

Dices. Saltem probant ex Scriptura, doctrinam Ecclesiæ Romanæ depravatam esse in omnibus articulis controversis. R. Nil minùs probant, aut probare possunt: ad hoc enim ut probent ex Scriptura, doctrinam nostram corruptam esse in omnibus articulis controversis, debent prius ostendere, sensum illum, quem attribuunt Scripturæ, esse germanum Scripturæ sensum. At ostendere non possunt ulla ratione. Non ex ipsa Scriptura: nam de ea illos inter & nos convertitur. Non ex sententia veræ Ecclesiæ: nam non sensum Scripturæ per veram Ecclesiam, sed veram Ecclesiam per sensum Scripturæ probant. Non ex veterum orthodoxorum testimonio: nam orthodoxos quinque priorum sæculorum nostros esse ostendunt doctores nostri, eosque nobis favere non